

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

SISTENS

OBSERVATA IN CLINICO

MEDICO PRO MEDICIS

REG. SCIENT. UNIVERS. HUNGARIC.
MENSE MARTIO ANNI 1834.

COLLECTA,

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

SPECTABILIS DOMINI DECANI,

ET NON

CLARISSIMORUM DD. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

RITE CONSEQUENDA

IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM
UNIVERSITATE PESTIENSI

PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

EMERIGUS KOCH,

ARTIS OBSTETRICIAE MAGISTER
HUNGARUS NOBILIS.

In Theses adnexas publice disputabitur in Palatio Universitatis
majori die Aprilis 1835.

P E S T I N I,

Typis JOS. BEIMEL, C. R. PRIV. STRIGONIENSIS
TYPOGRAPHIAE, AC UNIUS E PESTANIS PROPRIETARII.

SPECTABILI AC CLARISSIMO

DOMINO

MARTINO CSAUSZ,

MEDICINAE DOCTORI

**IN REGIA SCIENT. UNIVERSI. HUNGARICA ANATOMIAE
PROFESSORI, P. O. EJUSDEM I. FACULTATIS
COMMEMBRO, AC DECANO EMERITO**

VIRO
OMNI LAUDE SUPERIORI
IN
TESSERAM GRATITUDINIS
ET
OBSERVANTIAE
VILES HASCE PAGELLAS
SACRATAS ESSE
VULT

Auctor.

Observationes in Clinico-Medico Mense Martio Anno 1834 factas conscripturus, eo adnitus sum: ut omnia, sed breviter et succincte consignata haberem. Magnam enim Mensis huius offert rerum gestarum ubertatem, quo duratio longa morborum, et atmosphaerae conditio multum contribuere.

Observationes meteorologicae.

Temperatura atmosphaerae in genere hoc mense frigida erat; dies namque ab initio calidos septem in-sequebantur, reliqui frigidi, ventis copiosissimis, et vehementissimis stipati, qui praecipue diebus 11-ma et decima septima Martii maximum vehementiae culmen attigerunt.

Maximum Thermometri + 11° R. Die 7-ma Martii
Minimum Thermometri — 4° — — 18-va —

Dies ventosus numeravimus novem, perfecte nubibus obtecos quinque, nives cadebant quinquies, pluviae quinquies.

Generalia quaedam circa Characterem, Causas, Diagnosim, Prognosim, Therapiamque morborum hocce Mense pertractatorum.

Vicissitudini huic atmosphaerae debetur character morborum inflammatorio catarrhosus. Frigus enim hibernum in peripheria corporis calorem animale subtrahendo, vitam internam ad restituendum calorem sollicitat, excitat vitae plasticæ renium, roborat organorum, quae in contractionem tendunt potentiam, et sic inflammationem provocat. Alias vero calenti imprimis corpori praeter consuetudinem, maxime per ventum, qui hoc mense copiosus erat, admissum inflamma-

tiones catarrhales, praesertim organorum respirationis excitare valet.

Nec tamen hoc pro sola et unica causa morborum assumi potest. copiosae namque aliae in homines mense hocce influxere, et quidem :

1. Alimenta et potulenta, quae majori, quam ut viribus digestricibus commode subigi possint quantitate ingesta ventriculum et intestina expandunt, debilitant, cibos degenerationi exponunt, sanguinem ad interiora urgent. Copia magna partitis vicibus sumta nimium nutriendo abundantiam humorum causant, et sic in inflammationem praedisponunt.

Nec tamen ideo 2-do Pharmacorum praeprimis drasticorum incongrue, et magna dosi per plebem in auxilium vocatorum vim noxiam negare audeo, casu sub Nro decimo edoctus.

Quid 3-to animi pathemata efficere valeant, vividissimum exemplum in aegro sub numero secundo decumbente habuimus.

Taceo de dispositione, quae utique ut morbus evolvatur adesse debet provocata per aetatem; viros enim in flore aetatis constitutos suscepimus; per sexum, vitae genus, homines enim potissimum pauperes influxibus externis quamplurimum expositos, laboribus gravibus adsvetos tractandos habuimus.

Examine aegrorum rite instituto, collectisque inde causis et phaenomenis morborum ad diagnosise construendam accessimus. In hac formanda quantum fieri potuit semper philosophicis inductionibus usi, generalissimos omnium primo, sed constantiores characteres exquirendo ad certas aegritudinum familias ceu classes casum referre adnisi sumus; transeundo dein ad morbi specialiores notas sed essentielles, semper veram morbi indolem et naturam eruimus, atque ultimo considerantes morbi characteres variabiles ac accidentales speciem morbi determinavimus.

Attendimus ergo sub ipsa diagnosi instituenda non tantum ad morbi ipsius indolem et naturam, sed et formam, intensitatem, complicationem, stadiumque morbi.

Ubi vero haec ob morbi naturam illico fieri non potuit observatio ulterior instituta.

Simili cautela et in prognosi pronuntianda usum, memores: morbum et mitioribus stipatum symptomatibus periculosum evadere posse. In hac pronuntianda respeximus: constitutionem aegri, sexum, vitae genus, organi adfecti dignitatem, morbi naturam, indolem, durationem, complicationem, quantum denique therapia hucusque adhibita profuerat.

In therapia adornanda a mitissimis incipiendo ad fortiora accessimus, non tamen ideo autocratiae naturae molimina despicientes. Hac enim sola causis excitantibus remotis, morbum mitigatum aut plane deletum saepe laeti conspeximus; ubi vero causa dubia, occulta, v. ubi cognita quidem sed removeri non poterat, aut remota permanentibus effectibus morbus non cessavit, curam contra statum dynamico-organicum abnormem direximus.

Quum vero morbi hoc mense pertractati fere omnes characterem inflammatorium plus minus praesetulerint, antiphlogisticam iis opposuimus methodum; et quidem a mitissimis, ut quiete corporis et animi, temperatura moderate calida, munditie, diæta tenui, decoctis emollientibus, solventibus, v. solis v. salibus mediis junctis incipientes ad fortiora, ut: nitrum, calomelam c. digitali purpurea, evacuationes sanguinis partim topicas hirudinum ope, partim universales per venæsectionem susceptas, pro re nata etiam repetitas accessimus; nec de usu auri, colomelisque dosi plena deterriti. Virtutem internorum adjuvimus externis, cataplasmatibus emollientibus, rubefacientibus, epispasticis, inter quae memorari meretur oleum Crotonis T., quod ut potens antagonisticum ab anglis medicis laudatum effectum optatum non prodidit.

Irritabilitatem morbose exaltatam acidis mineralibus, ut: acido sulfurico diluto, muriatico oxygerato liquore acido Hal. impugnavimus; sensibilitatem vero exaltatam, narcoticis ut: extracto lactucae sylvest. hyoscyami, cicutae, opio, aqua lauro cerasi, digitali purpurea, dosi moderata exhibitis.

Vires vitales languentes vitae regimine roborante, jusculis vinosis, lacte, decocto lichenis islandici, camphora, spiritu c. c. erigere conati.

De sanandi impossibilitate convicti, aegrum curae paliativae subiecimus. Ubi vero mors naturae et artis conamina superavit, cadaver disquisitioni anatomico-pathologicae subjicere non intermisimus.

Tabellaris conspectus aegrorum mense hocce tractatorum.

<i>Nomen Morbi.</i>	Residui e Februario.	suscepti	sanati	mortui	remanent
Febris catarrhalis . . .	—	1	1	—	—
Febris rheumatica . . .	1	—	1	—	—
Bronchitis catarrhosa . . .	1	—	1	—	—
Pleuritis chronica . . .	1	—	1	—	—
Pleuro-Bronchitis . . .	1	2	1	—	2
Pleuro peripneumonia . . .	—	2	2	—	—
Hepatitis . . .	2	—	2	—	—
Gastro-enteritis . . .	1	—	—	1	—
Erysipelas dorsale . . .	1	—	—	—	1
Phthisis pulmonalis . . .	1	1	—	2	—
Hydrops universalis . . .	1	—	—	—	1
Syphilis . . .	—	1	1	—	—
Chorea St. Viti . . .	—	1	1	—	—
<i>Summa</i>	10	8	11	3	4

Conspectus specialis morborum et curae contra adhibitae.

Febris rheumatica sub Nro. 6.

Barbara H. annorum 15, cephalaeis, feбри gastrico-saburrali saepius adfecta, die 22. Febr. fundum cubilis lavando super madidos deambulat asseres, insuper hiatibus cubilis omnibus apertis aëris motui totum exponit corpus. Hanc insuetam organismi adfectionem insolita insecuta reactio, die namque 22-da Feb. symptomata

iam febrilia, 24-ta vero dolorem in haluce pedis sinistri pungentem, incessum impediētem aegra experitur, cui se similis in regione sacrali, et brachio sinistro tardius associant; contra quos cum pilulae ex Guajaco, calomela, et extracto aconiti nihil profuissent, 28-va Feb. aegra clinicum accessit; ubi observare licuit: dedolationem artuum magnam, calorem cutis auctum, pulsum normali frequentiore, plenum, dolores pungentes in haluce pedis sinistri, brachio sinistro, et regione sacrali. Praeter vitae regimen antiphlogisticum, decoctum hordei cum nitro ordinatur, partes vero dolentes linteo calido involvuntur. Diem, cum febris et dolores remississent, sat tolerabilem habuit; vespertina tamen exacerbatio omnes aegrae molestias, sitim, cephalaeam, dolores artuum adeo auxit, ut omnem fugaret somnum, quo intellecto medicina repitur, prout et subsequis diebus tribus statu eodem perdurante; vicesima tertia vero, quum aegra eam nauseasset, cum seq. commutat: Rp. Amygd. dulc. excortic. drachmas duas, f l. a. emulio unciarum 6, cui adde: nitri puri drachmam unam, sacchari albi unciam semis. D. S. omni 2 h. 2 coch. cib. Medicinam hanc gulae magis aridentem et septima Martii repetiit; ast die hac exacerbatio notabilior cum doloribus intensioribus ad manum sinistram extensis denuo reversa, nos de insufficiente remedii virtute edocuit; quapropter nitri dosim octava ad drachmam unam et semis, 10-ma vero ad duas auximus, qua medicina 12-ma et 13-ta continuata prolicitis sudoribus universalibus tanta inducta est emendatio, ut exacerbatione penitus silente, doloribusque multum mitigatis, aegra sine omni medicina interna relinqui potuerit 14-ta Martii. Balneo vapores ad gradus 30 R. 17-mo, 19-no et 20-mo in usum tracto, dolores magis in humero fixantur; hinc sinapismo 31-mo fugati ita, ut die 23-tia Martii totidem tractaminis aegra qua relative sana dimitti potuerit.

Bronchitis catarrhosa sub Nro. 3.

In puella robusta annorum 16 praeter febrim intermittentem nullis morbis vexata evolvitur circa medium Febr. dedolatione artuum, calore animali adaucto, pulsu normali frequentiore, dolore in parte pectoris

sternali fixo pungente, decubitus et respirationem profundam impediens, tussi sicca. Illis symptomatibus die 15. Febr. in clinic. suscipitur, ubi hirudinibus 12 regioni sternali adplicitis, decoctoque hordei in usum vocato dolor punctorius remisit, respiratioque liberior evasit. 26-ta ex tussi cum ejectione sputorum continuata, doloreque ut ut mitiore perdurante ad statum inflammatorium concludentes, decoctum althaeae cum succo liquiritiae exhibuimus, cui 28. ob tussim ejectioni sputorum junctam salis ammoniaci drachmam semis adjecimus, 1-ma vero Martii raucedine notabili evoluta, sequens substituimus Rp. Florum sulfur. lotor. pulv. herbae cicutae āā grana quatuor, sacchari albi scrupulos quatuor, m. exactissime f. p. divid. in doses aequales numero octo, D. S. om. 3 h. 1. p. sumatur cum thea ex radice althaeae et liquiritiae āā parata Quibus per aliquot dies continuatis cum et antagonisticum externum oleum nempe crotonis T. in usum vocassemus. symptomata omnia morbosa dissipata sunt ita, ut die 7-ma Martii qua relative sana dimitti potuerit.

Pleuritis chronica sub Nr. 4.

Barbara G. annorum 30., nupta, anno aetatis suae 4-0 variolas, 5-to morbillos, 25. abortum perpessa, catamenii 14-to primo salutata. Ad finem Feb. a. 1833 post adstrictionem corporis doloribus punctoriis in latere pectoris sinistro corripitur; contra quos, longiore tempore perdurantes, cum adplicitae 12 hirudines et emulsio amygdalar. nihil profuissent, aegra 30. Januarii 1834 clinic. ingreditur, ubi exhibuit genas rubicundas, calorem animale aductum, pulsum normali frequentiore, accusabat dolores pungentes in latere pectoris sinistro se ad latus dextrum extendentes, per tussim siccam, inspirationem profundam, motumque corporis augendos, decubitus in latus sinistram impediens. Ideo hirudines 20. parti adfectae apponi jubentur, et praeter vitae regimen antiphlogisticum interne decoctum hordei c. oxymelle simplici ordinatur. Haemorrhagia ultra horam continuata, inspiratio profunda liberior evasit, decubitusque in latus utrumque concessus erat. Dolor tamen punctorius sub motu excitandus pul-

ausque frequens inflammationem utut mitiorem ultro perdurare sufficienter probant, ideo in methodo antiphlogistica persistentes decoctum althaeae c. succo liquiritiae praescripsimus, 3-tia Febr. ad dolores punctorios in latere sinistro tollendos sinapismus lateri dolenti adponitur effectu tam bono, ut doloribus omnibus dissipatis, statuque normali reverso die 7-ma Febr. cum instructione ut potentias omnes nocentes evitaret, dimitti potuerit.

Valetudine tamen neosuscepta diu frui non potuit, 3-tia enim a suae dimissione die post ciborum majori quantitate ingurgitationem novitus persensit dedolationem artuum, calorem cum frigore alternantem, cephalaeam, dolorem punctorium in latere pectoris sinistro, prementem in scrobiculo cordis, decubitum in omne latus impediens, tussim siccam. His territa aegra auxilium Domini ordinarii rursus implorat, a quo symptomatibus omnibus statum inflammatorum priorem indicantibus methodo antiphlogistica tractatur. Hirudinibus 12 adplicitis dolor punctorius in latere pectoris sinistro disparuit, eo in scrobiculo cordis cum tussi sicca, pulsu normali frequentiore perdurante; ideo 16-ta Febr. decoctum Althaeae cum succo liquiritiae ordinatur. 17 ma Febr. ad dolorem prementem in scrobiculo cordis tollendum pectori sinapismus apponitur, quo nihil juvante 18-va morbum a sensibilitate morbose exaltata repetentes, decocto radice althaeae extracti hyoscyamigrana 2 adjecimus. — Emendatione nulla secuta metus de secretionem per inflammationem chronicam inducta merito exoritur; ideo ad hanc praecavendam ordinatur: Rp. Muriatis hydrarg. mitis, pulv. folior. digital. purpur aā granum unum, sacchari albi drachm. unam m. f. p. divid. in dos. aequal. numero sex, d. s. omni 2 h. p. 1 decoctum althaeae c. succo lig. repet. pectori cataplasmata emoll. adponuntur. 21. Febr. statu eodem perdurante medicina interna continuatur, cataplasmatibus emoll. unguentum Autenrith: substituitur. His per dies quatuor continuatis emendatio notabilis secuta, dolor namque in medio pectoris multum remisit, tussis evasit rarior, decubitusque in latus utrumque conceditur. 26. Febr. ob saporem oris metallicum spu-

tationem frequentem dolorem pungentem in genis, alvum diarrhoicam calomelam ex formula exmittere coacti digital. purp. ultro indicatam retinuimus, pro collutorio oris decoctum foliorum malvae praescripsimus, seposito unguento Autenrith. Emendatio, quae iam antea inchoaverat continuat, ptyalismo perdurante; ideo ordinatur: Rp. Florum sulf. lotor Extracti Cicutae āā grana quatuor f. mas pil. form pil. numero 4 consperg. pulv. liq. Detur S. omni 2h. pil. 1. effectu tam bono ut ptyalismo penitus silente, omnibusque molestiis dissipatis, postquam fluxus catamenialis cessasset, die 14. Martii 40-ma tractaminis sana dimitti potuerit.

Pleuro Bronchitis sub Nro 1.

Elisabetha R. annorum 30, vidua, conditoinis servilis, refrigerio admissa corripitur catarrho, qui decocto Althaeae c. succo liquiritiae in usum tracto mitigatur quidem, nec tamen penitus suffertur; tussis enim sputis copiosis flavescenti-virescentibus nexa, usque diem 23-tiam Feb. perdurat; quo tempore, quum ei se et febris et dolor punctorius lateris sinistri associasset, clinicum accessit; ubi morbo pro Pleuro-bronchitide catarrhosa determinato, hirud. 12 regioni sternali adponuntur, et praeter vitae regimēn antiphlogisticum decoctum hordei c. oxymelle simpl. praescribitur. Dolore punctorio pectoris remisso, tussis febrisque mitiores evaserunt. 26. Febr. pectori cataplasmata emollientia adponuntur, decoct. vero hordei, althaeae substituitur. 27ma tussis violentior, qua eiiciuntur sputa sanguinolenta, in humero a regione pectoris dextra ad costas spurias percipitur dolor, sub tussi motuque omni augendus; ideo regioni sternali rursus hirud. 12 adponuntur. Haemorrhagia ultra horam continuata dolor febrisque remittunt, tussi perdurante cum sputis sanguine mixtis. Vesperi exacerbatio notabilis, nox ob tussim violentam impacata, ideo 28-va Feb. ad inflammationem chronicam tollendam calomel. cum. digital. purp. ordinatur forma sequenti Rp. muriatis hydrarg. mitis, pulv. folior digital. purp. āā granum unum, sacchari albi drachmam unam m-

exactis. divid. in partes aeq. numero sex. Detur Sig. omni 2h. pulv ʒ. Decocti emollientis usu continuato. Quibus 1-a et 2-da Martii repetitis tussis, qua ejiciuntur sputa copiosa, cohaerentia rarior evasit, decubitus in latus utrumque concessus erat. Dolor tamen capitis gravativus, inspiratio profunda impedita, genarum rubor circumscriptus, sitis adaucta pro inflammatione adhuc loquebantur; ad hanc citius tollendam adjunximus antagonisticum externum oleum nempe crotonis T. 4-ta Mart. medicina interna forma pil. c. cum pulveris aegra nauseasset praescribitur, oleo crotoni reſento: his tussis evasit rarior, sputis opacis nexa, exacerbatio febrilis mitior; reactio olei crotonis constabat in pustulis parvis hinc inde dispersis, 6-ta Martii spiritus mercurium redolens, tensio in gingivis usum calomelis interrumpendum esse susserunt; ideo exmissa calomela digitalis purpur. cum saccharo forma pilul. praescribitur, decoct. althaeae continuato, oleo crotonis seposito. Effectus horum is erat: ut 12-ma Mart. tussi rarissima, febrisque nulla amplius praesente aegra sine medicina relinqui, 22-da vero Mart. postquam fluxus catamenialis cessasset, symptomatibus omnibus morborum dissipatis, qua relative sana dimitti potuerit.

Pleuro peripneumonia sub Nro. 5.

Catharina H. puella 18 annorum, coqua, ante biennium catamenior. fluxum primo experta, antea vix quibusdam morbis tentata. 28-va Febr. post sumtum cibum quantitate et qualitate abnormem corripitur febris per plures horas excurrente altero die, calore sicco doloreque capitis; quibus perdurantibus post sumtum infusum Chamomil. vulg. vomitu evacuat bilem junctam saburrae. Calor siccus, cephalaea, sitis intensa animusque consternatus aegram prima et 2-da Mart. adfligentes ad clinicum compulerunt. ubi morbo ob febrim validam, respirationem profundam impeditam, tussim siccam, doloresque pectoris lateris utriusque, decubitum impediētes, pro pleuro peripneumonia determinato, methodus antiphlogistica opponitur. Evacuatione sanguinis phlebotoniae ope ad libram unam instituta, dolores punctorii remiserunt, inspiratio profunda libe-

ior evasit; decubitus tamen in latus ntrumque impeditus, pulsus frequens celer. tussis, facies turgida, sitis, calor animalis adauctus permanent, quae omnia excepta tussi evacuatione sanguinis topica hirud. 12 ope suscepta dissipata sunt. — Tussis residua ad unum decoct. althaeae cum extracto lactucae sylvest. nec non tartari emetici dosibus refractis spatio 10 dierum cessavit ita, ut die 24 Martii 19 tractaminis qua relative sana dimitti potuerit.

Pleuro peripneumonia sub Nro 10.

N. N. habitu bono donatus, nullis antea morbis vexatus accessit die 24 Martii, 4-ta morbi cum dolore fixo in regione thoracis dextra inferiori anteriore punctorio premente, sub inspiratione profundiore tussique multum adaucto, decubitus in latus adfectum impediens, respiratione brevi anhelosa, halitu oris calido, tussi humida, calore animali exaltato, pulsu normali frequentiore fortiori. Ex numero horum symptomatum c. causis suis, dispositione nempe eminenti et refrigerio compuratorum, morbo pro pleuro peripneumonia determinato hirud. 12. pectori adplicantur interne, decoctum hordei cum oxymel. simpl. praescribitur. 25-ta emendatione nulla visa iterum hirudines 12 apponuntur, interne vero decocto hordei niri drachma una adjicitur. Haemorrhagia ultra horam sustentatur sitis imminuta, respiratio profunda impedita decubitus in omne latus liber, pulsus rarior, mollior, dolor nullus, sputa sine omni sanguinis vestigio ideo 26. Mart. crism adesse videntes, medicinam heri praescriptam continuavimus, eo cum effectu, ut aeger praeter tussim circa horas matutinas inchoantem nihil morborum praesentulerit. In hoc statu ad ultima inflammationis vestigia ab exaltata sensibilitate provenientia exhibuimus: Rp Decocti Radicis althaeae uncias octo, cui addo extracti hyoseyami grana tria, succi liquiritiae inspissati drachmas duas. Dtur Sig. omni 2hor. 2 coch. c. Per hanc medicinam symptomata omnia ita sublata sunt, ut 28-va Martii sine medicina relinqui, die vero 29-na qua relative sanus dimitti potuerit.

Hepatitis sub Nro. 8.

Morbus in puero 5 annorum, diatesi scrofulosa eminenti in gradu adfecto, helminthiasin anno praeterito perpresso evolutus, exacerbatione febrili omni tertia die instar paroxysmi comparente ita, ut et tempore apyrexiae dedolatio artuum, appetitus prostratus, color flavus in albuginea, sapor oris amarus, vomitus biliosus, dolorque in regione hypochondriaca dextra cum pulsu normali frequentiore, fortiore perdurarent. Morbo die 25-ma Feb. pro hepatitide determinato, methodus antiphlogistica opponitur, hirud. 6 hypochondrio dextro apponendo interne decoctum hordei c. oxymel simpl. praescribendo. Adplicationem hirudinum dolorum mitigatio insequitur, ad quos residuos fugandos 25-ta Feb. cataplasma emollien. abdomini apponuntur. Ad haec dolores multum remittunt, dies, sub moderata cutis transpiratione in quiete transigitur, flavedo cutis augeatur; ideo morbi intensitate multum mitigata, diebus subsequis 5 medicina continuatur, 1-ma vero Martii colore cutis iam multum ad normalem accedente, sine medicina relinquitur.

Quamquam omnia symptomata inflammationem indicantia sublata fuerint, tamen tumor hepatis notabilis, tensio abdominis, cutis color flavus statum abnormem systematis cholopoëtici indicabant; ideo ad infarctum hepatis solvendum, secretionemque hilis normalem restituendam, praescribitur Rp. Calomelis. granum semis, sacchari albi scrupulos quatuor, m. f. p. divid. in partes aequales numero octo. Dt. S. omni 2h. 1. P. 3-tia Mart. abdomen mollius hepar adhuc tumidum; ad tumorem solvendum in puero scrofuloso magis indicatum censebatur remedium sequens: Rp Decocti taraxaci ex uncia semis parati uncias quatuor, cui adde bicarbonatis Sodae scrupulum unum det. S. omni 2h. duobus coch. cib. 5-ta et 6-ta Martii abdomen mollius, color flavus dilutior, urina limpide, 7-ma Mart. ut gulae infantis magis faveretur bicarbonatem Sodae cum saccharo forma pnlv. praescripsimus, remedium quod infantes sub hac forma optime sumunt. Emendatione die 8-va

et nona increscente, 10-ma Mart. 15-ta tract. qua relative sanus dimittitur.

Hepatitis sub Nro. 5.

Magdalena W. annorum 19, conditionis servilis, anno aetatis 5 peripneumonia, 16 cholera adficitur, a quibus arte medica liberatur. Die 10. Februarii anni currentis praesente fluxu catamentiali post admissum refrigerium persentit dolores in regione hypochondriaca dextra, quibus per sex dies perdurantibus cum se symptomata febris 16 Febr. associassent, aegra clinicum accessit, ubi ex dedolatione artuum, cephalaea, siti in aquam frigidam directa, sapore oris amaro, dolore punctorio in regione hypochondriaca dextra ad hepatitis gradum mitioris concludentes, regioni hypochondriacae dextrae hirudines 12 apponi curavimus; interne decoctum hordei c. oxymel. simpl. praescribentes, post decursum duarum horarum, pulsus pacatior, dolores mitiores erant, ad hos fugandos 25. linteam calidum siccum adponitur, tanto cum effectu, ut 26 Febr. doloribus nullis amplius praesentibus sine medicina relinqui, die vero 3 Martii postquam fluxus catamentialis cessasset, qua relative sana dimitti potuerit.

Gastro- enteritis sub Nro 10.

Joannes N. habitus nervosi, sodalis, annorum 40, post absumentum majori quantitate cibum, febris gastrica corripitur, quam, cum contra pilulas drasticas in usum traxisset, adeo exasperavit, ut dum 25 Feb. ad clinicum susciperetur, exhiberet linguam subaridam, siccam. fissuris transversis notatam, pulsum normali frequentiore, duriusculum, sitim in aquam frigidam directam, appetitum prostratum, dolorem in regione epigastrica ad pressionem multum adauctum, alvum obstipam, tussim frequentem cum sputis spumescensibus. Praeter vitae regimen antiphlogisticum hirudines 12 regioni epigastricae apponuntur, pro usu interno decoctum hordei c. oxymel. simpl. exhibetur. 26 Feb. statu eodem perdurante parotitis evolvitur, cui cata-

plasmatis emollientibus obviam itur, repetito decocto hordei, 27. Febr. baryecia, visusque hebetudo inflammationem accedentia nos de statu septico-nervoso anxios reddiderunt; ideo medicinam sanguinis resolutioni maxime resistantem, acidum nempe vitrioli dilutum in decocto hord. praescripsimus. 28. dolor in regione epigastro-umbilicali perdurans, baryecia, lingua arida, pulsus frequens, ad inflammationem chronicam glandularum Pajerianarum et Brunerianarum monstrant, aegrum si in suppurationem transiverint certo enecantia, symptomatibus febris septicae magis evolutis. Ut hoc praeverteretur calomelis drachma semis in 3 partes partita praescribitur, ut mane unam, post prandium alteram, vesperi tertiam dosim sumeret ad parotitidem vero cataplasmata emollientia adponuntur. 1. Mart. symptomata morbosa in abdomine multum remittunt. iis in pectore caput extollentibus; tussis enim, quae hucusque rara fuit, fit frequentior, respiratio magis anxiosa, decubitus in latus pectoris dextrum impeditur; ideo calomeli sal ammoniacus in decocto althaeae substituitur. 3-tia et 5-ta Mart. salis ammoniaci dosis drachma una augetur, sine levamine, quare morbum potius a sensibilitate morbosa exaltata repetentes, 6-ta decoctum stipitum dulcamarae, quo nihil juvante 8-va debilitate se magis insinuante decoctum lichenis islandici ordinavimus. Hoc principio suo amaro tussim exasperat, calorem animale exaltat, linguam exsiccatur; ideo ei spiritus vitrioli drachma una in decocto salep substituitur. Febris tamen continuo perdurat, tussis molesta, et debilitas muscularis augentur, facies collabitur, vox evadit debilis, lingua arida, diarrhoea profusa. Tali sub rerum statu medicina excitans maxime indicata est, ideo ordinatur: Rp. Decocti florum arnicae ex drachmis duabus parati uncias octo, cui adde Camphorae grana sex, mucilaginis gummi arabici, syrupi papaveris albi āā unciam unam. Dt. S. omni 2h. 2 coeh. cib; externe pectori emplastrum cantharid. adponitur. 10-ma Mart. ex debilitate increscente, pulsu vix perceptibili effectu cantharid. nullo, ad statum paralyticum concludentes ordinavimus Rp Camphorae grana 6. sacchari albi drachm. unam m. f. p. divide in

Joses numero 6. aequales. Sig. omni 2 h 1. pulv. horis vero intermediis Rp. decocti florum arnicae uncias octo, cui adde spiritus cornu cervi anisati scrupulum unum, sacch. albi drachmas duas. D. Sig. omni 2 hor. 2 coch. cihar. Medicina tamen nondum adlata pacate exspiravit.

Sub sectione die sequenti instituta, cerebrum cerebellumque emollitum, pulmones in latere sinistro penitus, in dextro maxima pro parte accreti, hepatisati, sub transscissione ichorem foetidum fundentes deprehensi; ventriculus multum dilatatus ejus tota superficies interna rubra, livida, glandulae exulceratae, degeneratae repertae.

Erysypelas dorsale et Hydrops universalis sub cura remanserunt.

Phthisis trachealis et pulmonalis tuberculosa sub Nro. 8.

Dominus Sigismundus W. Medicinae baccalaureus annorum 25, non vaccinatus, anno aetatis 19-no febrim intermittentem, 22. pneumonorrhagiam, 23. variolas naturales artis auxilio superavit; sanus ab hinc vixit usque initium Januarii 1834, quo tempore tussi non diu durante, circa finem mensis hujus iterum revertente corripitur, cui se paulo post haemoptoe adsociat, quod aqua glaciali cochleatim sumta, purgantibusque antiphlogisticis mitioribus in usum vocatis post triduum sistitur; 8-va et 9-ra Febr. tussis sicca, quae jam multum mitigata erat, vehementia increscit, eique rauco accedit, ideo ex consilio artis periti medicinam sequentem adhibet: Rp. sulfur. aurati antimonii grana quatuor, calomel. granum unum, extracti cicutae grana duodecim m. f. m. p. form. pil. numero 12. D. S. omni die tres pil. Ab hac medicina, quum aeger per biduum sumta, symptomata mitigata conspexisset, decoctum hordei cum melle in usum trahit. Februario ad finem vergente tussis, a priore ejectione sputorum differens, raucoque augentur; ideo ex consilio artis periti infusum digitalis purpureae cum aqua lauro cerasi in usum trahit

sine levamine; tussis enim diu noctuque aegrum affligit. Hoc in statu aeger in clinicum 4-ta Martii recipitur; ubi ex habitu corporis gracili, facie, extremitatibusque longis, gracilibus, scapulis ab invicem distantibus, raucedine, tussi praepressis noctu molesta, qua ejiciuntur sputa seroso-mucosa cum grumis albis hinc inde innatantibus, pulsu frequentiori duriusculo, calore animali adaucto, sicco, haemoptoe praegresso ad Phthisim trachealem, pulmonalemque tuberculosam conclusimus: ne tamen animum aegri rerum medicarum gnari dejiceremus morbum pro Tracheo bronchitide catarrhosa in praesentia ejus declaravimus, de indole maligna optime convicti. Cum vero morbus per statum subinflammatorium sustentatus fuisset, medicina emolliens decoctum nempe salep. c. syrupo papaveris albi ordinatur; ad noctes vero pacatiores reddendas pil. ex opii et extracti digitalis purpurei a grano semis exhibetur, ut eam ante decubitum sumeret. Dies noxque pacatior, tussis rarior, ejectio sputorum facilior; ideo 7-ma Mart. medicina repetitur; ob alvum vero obstructam clisma emolliens ordinatur, quod tamen propter sudorem ad mesonoctium usque excurrentem applicari non potuit. Ad prandium, dum cibos deglutire vellet, sensu titillationis et ardoris in larynge et trachea, tussim molestam provocante, corripitur, ad hunc mitigandum 8-va Mart. remedium antagonisticum in usum vocavimus, oleum nempe crotonis Tig., quod testantibus medicis Anglorum et Gallorum eosdem ac unguentum Autenrith. producit effectus. Ad vesperam pulsus normali frequentior, fortior, calor animalis adauctus, ingratus, sensum ardoris in manu mea excitans, nox ob tussim, qua ejiciuntur sputa seroso-mucosa copiosa foetida, impacata. Ex his ad inflammationem chronicam in trachea et pulmonibus concludentes 9-na Mart. acidum muriaticum oxygenatum, cujus virtus in similibus circumstantiis magnis laudibus celebratur in decocto salep exhibuimus. Ad virtutem vero ejus augendam 9-na Mart. cum oleum crot. nihil egisset, unguent. ex axungiae porci uncia una et tart. emet. drachm. semis ei adjunximus. 12-na et 13-tia Mart. statu eodem perdurante medi-

cina continuatur. 14-ta sudor largus mane incipiens ad mesonocetium usque excurrit, raucedo minor, tussis rarior, sputa pauciora facilius ejiciuntur. Unguentum, cum pustulae copiosae productae fuissent, seponitur. 16-ta Mart. medicina hucusque bono cum effectu adhibita repetitur, unguento resumpto. Sudor universalis diu noctuque, tussis mitior, sputa pauciora, nox quoque pacata. 17-ma Mart. Ad animum aegri erigendum sub praetextu summae emendationis subsecutae medicina seponitur. Sudor profusus diu noctuque continuat, tussis de die frequentior, noctu vix ulla. 18-va Mart. ad processum inflammatorium chronicum in trachea perdurantem tollendum, praeter decoctum salep ordinatur: Rp. Calom. Pulv. folior. digit. purp. añ granum unum, sacchari albi drachmam unam m. f. p. divide in doses numero 6. D. S. omni 2 h. 1. pulv. Nox ob tussim nimis frequentem et violentam impacata, sputa copiosa, seroso-mucosa, foetida. 20-ma Mart. dosis digitalis purp. ad grana duo ob tussim violentam augetur, eique calomela retenta extracti cicutae grana 3. adjiciuntur, unguento continuato, pro collutorio oris decoctum foliorum malvo exhibitur. Post mesonocetium per tussim violentam excitatus, sudore universali tota die durante perfunditur, debilitate et emaciatione corporis semper incrementibus. 21-ma Mart, dum cibos deglutire vellet, irritationem ingentem in partibus adfectis, deglutitionem impediens experitur, quam 9-na Martii a calomela exasperari videntes ei substituimus sequens Rp. Muriatis auri natronati granum semis. pulv. herbae cicutae grana quinque, extracti cicutae gr. sex f. m. p. form. pil. 12. consp. pulv. liq. Det. Sig. mane et vesperi unam. Ad vires vero restaurandas decoctum salep cum lacte vacino tepido exhiberi curavimus. Tussis molesta diu noctuque continuat, ciborum deglutitio ob irritationem quam in faucibus produciunt difficilis vesperi exacerbatio manifesta, noctu deliria, sputorum quantitas, quia sputabulum decidit, videri non poterat; ea tamen copiosa tuisae vestigium madidum docuit. 23-tia status perfecte idem continuat. 24 ta ad plagam vesicularum ab un-

guento productarum fere sphacelosam, unguentum simplex adponitur, repetitis pilulis et decocto salep c. lacte. Die hacce status aegri deterior evadit, tussis enim est valde violenta, secretio sputorum suppressa, respiratio difficilis, laboriosa, strepitosa, pulsus debilis, celerimus, deglutitio ciborum difficilis. Hoc in statu conclamato aegrum 24-ta Mart. deprehendentes, ut aliquid pro consolatione ejus fieret, ordinavimus. Rp. olei amygd. dulc. drachm. duas. mucilag. gummi arabici, syrupi papaveris albi āā unicam unam. tere cum aquae cerasorum nigrorum unciiis septem D. S. omni hora 1. coch. cibario.

Medicinam tamen hanc omnem absumere non potuit, deglutitione enim et respiratione semper difficiliore reddita debilitas de hora in horam increvit; accedunt sudor largus, deliria, nisus aufugiendi, tandem hora noctis prima ultimum expirat halitum. Sectio, quam aeger adeo horrebat, instituta non erat.

Phthisis laryngea sub Nro 9.

Franciscus M. annorum 30, constitutionis ut dicunt phthisicae, variolis naturalibus anno aetatis 4-to, tardius febrim intermittenti; ante duos vero annos pleuritide costali adfectus erat, quibus arte medica debellatis, sanus vixit usque morbum praesentem, cujus primordia in mensem Januarium cadunt; tunc nempe post aquam frigidiores absumtam, pectoris oppressionem, raucedinem, tussim percepit; quae, cum ad usum potus theati non cederent, imo iis febris se associaret, aegrum anxium ad instituti opem implorandam compellunt, ubi susceptus offerebat: lassitudinem musculorum universalem, calorem animale exaltatum, ruborem genarum circumscriptum, polydipsiam, sensuum pressionem in regione ossis sterni, tussim molestam sputis mucosis cineriscentibus junctam, vocem raucam; morbum tunc temporis pro inflammatione laryngis, tracheae, et bronchiorum habentes, regioni sternali hirudines 12 apponi iussimus, interne decoctum hordei c. oxymel. simpl. praescribentes. Dolor pressivus post sanguinis depletionem imminutus versus vesperam cessavit, exacerbatio vespertina tamen notabilis; ideo

24. Febr. ad inflammationem mitigatam penitus tollendam decoctum althaeae cum sale ammoniaco exhibetur. Tussis interdum frequens, secretio mucii largior, exacerbatio matutina manifesta, noctem usque excurrentem.

Postquam ex relatione aegri hac die facta innotuisset morbum ante annum, post scabiem repressam tussicula, continuo ab hinc increscente, evolutum fuisse; comparando et febrim quotidie typice recurrentem in, seram usque noctem excurrentem. cum genarum rubore circumscripto, non dubitavimus: in aegro, jam in partibus supra memoratis, post inflammationem chronicam, ulcera efformata fuisse. Prognosim valde ambiguum statuentes plurimum urgens esse putavimus, partim, ut inflammatio chronica per irritationem in cuti externa provocatam imminuatur, partim, ut energia vasorum capillarum sollicitata, secretio mucii restringatur; huic scopo maxime congrua esse censuimus externe unguentum Autenrith. interne flores sulfur. c. saccharo. 26. Febr. tussis frequentior cum ejectione larga sputorum puriformium, exacerbatio febrilis vesperi intensior c. rubore genarum circumscripto, calore mordaci; ideo 27 ma medicinae priori pulv. herbae cicutaee adjecimus. retentoque unguento Autenrith. stipites dulcanarae pro infuso domi parando praescripsimus. 1-ma Mart. calor animalis exaltatus, mordax, tussis violenta, pulsus duriusculus. frequens perdurat; ideo seposito sulfure liquor. acid. Haler. in decoct. althaeae praescribitur. Noctu deliria cum conatu aufugiendi alvus diarrhoica, ob hanc liquor. acid. Haler. exmittitur, eique acidum muriaticum oxygenatum in tali statu colliquativo maxime indicatum in decocto salep substituitur; ad haec tussis quidem per aliquot dies rarior evadit, est status reliquus deterior, collapsus namque virium summus, deliria nocturna, conatusque aufugiendi perstant, alvus diarrhoica quotidie sexies deponitur, sputa ejiciuntur puriformia, foetida, sanguini coagulato mixta, respiratio fit stertorosa; donec tandem evoluta haryecia, debilitate summa, ejectioneque sputorum suppressa status soporosus ingrueret, in quo pacate extinguitur.

Sectione facta in cavo pectoris serum copiosum collectum, pulmones ipsi costis fortiter accreti, sub transscissione non crepitantes, parenchyma vero eorum structura normali prope amissa, tuberculis copiosissimis, pro parte pure scatentibus refertum, membrana mucosa tracheae et laryngis superficialiter erosa, repta.

Bubo syphiliticus sub Nro 11.

Post ulcus syphiliticum evolutus cataplasmatum emollientium ope ad maturitatem deducitur.

Chorea Sti Viti sub Nro 2.

Magdalena B. annorum 14. jam in prima infantia exaltatae sensibilitatis indicia dedit; dum enim vaccina muniretur, epileptico corripitur insultu; sed hoc sponte disparente, sana vixit usque morbum praesentem. Mense Februario scapham aqua frigida repletam in capite portans cecidit, qua se gravius allidere debuit; doloribus enim pectoris, paulo vero pneumonorrhagia corripitur; his vomitorio, purgantibusque per chirurgos profligatis alter successit morbus, in motu convulsivo extremitatum, musculorum faciei, totiusque corporis involuntario (conscientia praesente) noctu silente, constans, quo semper incrementum 27-ma Febr. in clinicum suscipitur, ubi characteri morbi erethistico per congestionem sanguinis versus encephalon sustentato, medicina vasorum activitatem compescens opponitur, liquor nempe a. Haler. cujus guttas quinque, quater per diem in medio poculo aquae sumit. Ad hujus medicinae usum convulsiones frequentia et intensitate multum remiserunt; aegra, quae cum accessit nec stare poterat, in cubili obambulare cepit; non deerant tamen et saburrae acidae symptomata per liquorem a. Hal. provocata, quae praepriis diebus 23-tia et 24-ta molesta, ope carbonatis magnesiae sedantur, intermisso liquore a. Haler. 25-ta Feb. symptomatibus saburrae acidae dissipatis liq. a. Hal. resumitur, sapore ejus acido sacchari ope mitigato. Emendatio ultro continuat ita, ut aegram convulsionibus jam rarissime comparentibus dimittendam esse censuerimus; permoti eo: quod medicinam, quam tanto

c. effectu in clinico sumserat, majori adhuc in aëre libero effectu adhibitura sit. — Verum eadem adhuc die, accedente nova causa, morbum exasperatum conspicerelicuit, aegra sibi ex amphora aquam fundere volens, haec ad pedes ejus cecidit, ferrita convulsionibus intensis corripitur, eodem tenore et 5-ta Martii perdurantibus; quare ad agilitatem systematis nervosi in aegra compescendam, effectu optimo saepe coronatam embrocationem, contemporanee cum pediluvio tepido statim, antequam ad lares paternos dimitteratur, in usum traximus, ut simul de modo eam continuandi edoceret; sicque illam instructam liquore a. Haler. dimisimus. Usus horum remediorum domi adhibitorum effectu optimo coronatus fuit, aegra enim post duas septimanas pro gratiarum actione reversa, nihil morborum obtulit.

T H E S E S.

1. Signa graviditatis certa ante medietatem ejus non dantur.
2. Nec partu praemature artificiali, nec diaeta sub graviditate tenui sectio caesarea praecaveri potest.
3. Qua opium agit ratio, frigoris actioni magis analogae.
4. Partus serotini possibilitas non est neganda.
5. Hepar non soli secretioni, sed et assimilationi praestat.
6. Graviditatis extrauterinae diagnosi difficilis.
7. Mater ubera proli absque sufficienti causa denegans, et sibi, et proli male consulit.
8. Medicus amicus optimus medicus.
9. Ex funiculo umbilicali non deligato, haemorrhagia lethalis oriri potest.
10. Scrofula et Rhachitis sunt morbi distincti.
11. Uterus fibris muscularibus, nec extra graviditatem destituitur.
12. Entelmintorum origo per generationem aequivocam optime explicatur.
13. Medicus audaciam inter et meticulositatem medium teneat.
14. In extractione cataractae sectio semilunaris corneae inferiora versus facta, praestat tali superiora versus institutae.